



# DISPUTATIO PRIMA.

Complectens explicationem Quæstionis:

*An in infantes cadant peccata actualia?*

habita

d. XXIX. Jan. M DC XVIII.

Respondente

RICHARDO BEN NICHIO,

Holsato.

THESIS I.



Est animus, volente & juvante Deo, piam instituere *συμφιλολογίαν* de proposita Quæstione: *An in infantes quadrent & cadant peccata actualia?* Animadverto enim non omnium eandem hic sive esse, sive saltem videri sententiam: unde scrupulus nonnullis injicitur, quo molestantur: qui proinde semovendus est. Ne autem terminorum æquivocatio nobis imponat, *Subiectum & Prædicatum Quæstionis* prius explicabo, & ab homonymia vindicabo, quam ad alia transeam.

2. *Subiectum* seu antecedens Quæstionis membrum, sunt *infantes*, Græcè *βρέφη*. *βρέφος* autem notat 1. *infantem* adhuc in utero suæ matris latitantem: quemadmodum Johannes, adhuc delitescens in suæ matris utero, dicitur τὸ βρέφος, Luc. 2. v. 12. & 16. Et Hebræorum nati pueruli dicuntur *βρέφη*, Act. 7. v. 19.

3. In lucem autem editi infantes sunt aut *recenter*, nempe ante paucos dies vel septimanas, qui dicuntur *ἀρτιγέννητα βρέφη* 1. Pet. 1. v. 2. Ubi Petrus homines, spiritualiter renatos, monet, ut sint modò natis infantulis similes,